

HONORI SEMPERITerno.
ET AUGUSTIS INDIOVE MERITIS.
ILLUSTRISIMIS HEROIS CELESTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI

CONVERSI
CURONIAE

Orationi panegyricæ inclusa,

IN AMPLISSIMO RIGEN-
SIUM CONSESSU,

d. VII. Julij.

ex memoria propofita à

GERHARDO ZOXEREN/

Nobili Curono.

—————
RIGÆ,

Typis SCHROEDERIANIS,

ANNO 1651.



HONORI. SEMPITERNO.

ET. AUGUSTIS. UNDIQUE. MERITIS.

ILLUSTRISSIMI. HEROIS. CELSISSIMI.
PRINCIPIS. AC. DOMINI.

JACOBI.

CURONIÆ. SEMGALLIÆQUE. IN. LIVONIA.
DUCIS. SPLENDIDISSIMI. SALUTI.
ATQUE. GLORIÆ. SUORUM. DATI.

^{QVI}
SINGULARI. DIVINITATIS. INSTINCTU. MENTISQUE.
MAGNITUDE. INCOMPARABILI. SUMMAS,
MAJORUM. SUORUM. LAUDES. CUM.
IPSORUM. LAUDE. SUPERGRESSUS.
TOTO. QUÆQUAVERSUM. PATET.
ORBE.

ORBIS. IPSE. ORNAMENTUM. ET. DELI-
CIUM. NOMINIS. CURONI. FAMAM.
PROMOVET. EXTENDIT. ÆTERNAT,

UT. IN. EO. PRÆDICANDO. BONI. OMNES.
MAXIMI. MEDIOXUMI. MINIMI.
LABORENT. OMNES. DEFICIENT.


OMNES. IN. EO. OMNIA. ILLUSTRIA. HEROICA.
INVIDENDA. COLANT. VENERENTUR.
STUPEANT.

EXILEM. HANC. SUBJECTISSIMI. ANIMI.
TABULAM. JUXTA. TOTAM. STUDIORUM,
SUORUM. SPEM. CUM. DEVOTO. OMNI-
GENÆ. PROSPERITATIS. VOTO.

SUSPENDIT. CONSECRAT. OFFERT.
DOMINI. SUI. CLEMENTISSIMI,
CLIENS. SUBDITUS.

GERHARDUS ZORER/
CURONUS.

MOSCHORUM IN LIVONIA FEROCITAS MIRABILIS CURONIAE FELICITAS.


 Mino enim talis fuit, & ab eo quidem fuit, qui ex bono malum elicit, qui ad perniciem reperta in salutem suorum vertit. Quis in talibus potentem Dei non agnoscat sapientiam? melius iudicat, de malis bona facere, quam nulla in bonos mala permittere. Quis non miretur sapientem Dei potentiam? non solum vincit oblectantes suis hostes; sed & ita vincit, ut pro ipsis militent, ut arma pro ipsorum ferant gloria, ut in malis, si non à malis, divina voluntas fiat. Viperam the-riacæ admiscet medicus, effectu saluberrimo: sic Deus noster pharmacò miseriarum no-xas hominum, & sine noxa tamen, temperat: consumit certè mixtum illis virus, & ar-cano quodam providentiæ suæ igne decoquit. Respicite ad seculi superioris clades in Li-vonia: heu scelera! heu cædes Moschicæ Tyrannidis, quibus nihil acerbius Sol vidit visu-rusq; est, ab ortu omni ad occasum! Horreat sermo, si ad tabulam memoriæq; tot nobi-lissimæ provinciæ funera, & quantum mali sit invec-tum, revoces. Experta est ætate illâ, quid in felicitate ultimum, quid in miseria. ab illa quidem præcepta in hanc ruit, post-quam usum ejus, tot à Plettenbergio Victorioso lustris, habuit: in hæc verò, quam ty-rannus afferebat, denuò felicitatis semen naçta est. Quis hoc, quis credat? mirum pror-sus est; nec tamen mirum est, si quis mortalium conditionem æstimet. Adversa ibi ex-secundis: secunda ex adversis subnascuntur: utrorumq; semina occultat Deus, & ple-rumq; bonorum malorumq; causæ, sub diversa specie, dilitescunt. Quid fuit Moschorum in Livonia ferocitas, quam flagellum aliquod lascivientium? quam purgamentum vitio-rum? quam luculenta tot virtutum commendatio? situm utiq; absterfit illis, ut viridiùs nitescerent, ut impetu feliciori, ad tuendum bonum publicum, exsurgerent. Profec-tò, sicut ignis, munitus ab injuriarum tactu, otiosâ prunâ, serpit per pabulum: mox sponte suâ moritur; sed ventis undiq; vexantibus, quantâ vi erumpit? quam totis flammis emi-cat? Sic virtus etiam: inter congestas pacis opes præfocatur facillè & perit; nunquam in excelsis animis tam bonâ sese fide exserit, quam ubi cum miseris committitur. Ades-dum Curonia incluta, & Tuam mihi mentem hîc expone! nunquid tantâ meritorum glo-riâ exsplendisset Tua gloria, GOTTHARDVS, Heros augustissimus, si nunquam in-festâset Livoniam Moschorum rabies? nunquid in perenni tranquillitatis sereno ad tan-tum pietatis, fortitudinis, constantiæ robur indurisset? nunquid ipsa ad Ducalis eminentiæ insignia eveçta esses, nisi Phalaris Ruthenus tam ferociter pressisset Livoniam? Ni-si prorsus fallor, arma ejus, arma crudelissima, ignaro licet hoste, ser-vierunt bono Tuo, ser-vierunt conversioni ac mutationi Tuae auspiciatissimæ, cui tum, mirando Dei nutu, He-ros sui nominis, GOTTHARDVS, auspiciatò destinatus erat. Et quis alius, successu tam secundo, Tibi unquam præfuisse dicam, an profuisse? Quis alius tot tantisq; pro salute Tua laboribus continuò vacâset? Ille, ille erat, quem divina cura Tui curam sin-gulari-

gulariter habere voluit. Nimirum, quoties ad singulare decus excitandus est quicumque, populus, virum ejus bono Deus excitat, illustri virtutum divinitate spectabilem, qui animum heroicum, ingentis effectorem operis, ad florem & honorem boni publici commasculat. Nec enim tantæ sunt fragilitatis nostræ vires, nec tanta misere mortalitatis potentia, ut tam pretiosas mundo gemmas ferat. Cælum est, ubi oriuntur: Divinæ bonitatis sacrarium est, unde magnæ mentes prodeunt. Nec aliunde magna illa mens, gemma illa incomparabilis, illustrissimus GOTTARDVS, Pater suæ Curoniæ, pater atq; custos publicæ felicitatis providentissimus, ex Ordinis Teutonici Magistro, augustâ SIGISMUNDI AVGVSTI, Polonorum Regis, autoritate, Dux splendidissimus. Suspice hoc astrum, ô Curonia! cæli est, & Tuum. venerare sancta ejus in Te merita! Cæli sunt, & GOTTARDI Principis, cujus optatissimo adhuc germine, in pace omniumq; rerum abundantia, ex voto gaudes. Illustrissimum Ducem JACOBVM intelligo, Heroem & majoribus suis, & quibusvis nostris laudibus majorem, cujus felicissimum splendorem patria non capit: exteri non satis mirantur: omnes in eo omnia inusitata agnoscunt & deprecant. Perennet hæc Ducatus florentissimi prosperitas! in omni semper statu vigor Pietatis ac Justitiæ perennet! ut majora semper incrementa capiant bona illa, quæ conversioni suæ jamdudum debuit. Quam ut sibi aliisque, altiùs imprimeret Nobilissimus Juvenis, GERHARDUS Torck, Eques Curonus, in describenda illa generosum animi conatum exercere voluit. Et inde nata ei est Oratio, insigne studiorum specimen, quæ, juxta Eloquentiam, Politicæ Historicæq; apud nos, eximia cum laude, nec minori, ut speramus, fructu, consecrat. Ut enim usui potius & Republicæ, quam hominum opinioni serviat, istis sanè studiis nobile exerceri ingenium debet. Multi quidem, dum sèctari sese putant Eloquentiam, loquentiam insulse tractant: talis enim est, quæ nullis vel moralis, vel civilis prudentiæ præsidii roboratur. His verò judicium Politicum, quò nihil sapientia humana possidet sublimius, formandum, his firmandum est, ut rectum afferatur ad Historicos. Mutua hîc est & secreta conspiratio: mutuam cordatæ Eloquentiæ robur & decus, ad quod propterea futurum hoc familiæ & Patriæ suæ decus excimium (tale enim utriq; promittimus,) constanter excitamus. Cùm autem Oratio illa d. VII. Julij ex memoria reddenda sit, omnes Musarum nostrarum Patres, Patronos, Fautores, Cultores humiliter, officiosè, humaniter, amicè oro-rogo, ut, vel materiæ jucunditate excitati, nobilem suâ præsentia panegyrim illustrent, &, ex spissis ærumnarum superatarum tenebris, modernæ felicitatis in Livonia lucem, quam æternam Deus esse velit! gratâ mente æstiment. Nos eadem beneficium nobis exhibitum constanter venerabimur. P. P. Rige, d. 4. Julij, Anno 1651.

M. JOH. BREVERUS,
Eloq. Prof.

ORATIO.



ORATIO
De
CONVERSIONE
CURONIAE.



Posteaquam pristinum vivendi decus Romani neglexerunt, & mores patrios, disciplinam benè temperatam, velut leviora suâ magnitudine ducentes, peregrina sensim æmulati sunt, cum peregrinis simul moribus, peregrina vitia inoleverunt. Rerum enim militarium, quam quietis otijq; antea patientiores, excepere ambitio, luxuria, avaritia: quos arma nunquam fregerant, vitia vicerunt. Ibi pro labore, desidia: pro continentia & æquitate, libido atq; superbia plerosq; invadere: pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, cupiditas vigere: omnia ad exitium status florantisissimi tendere. Quid mirum, Romanorum fortunam immutari cum moribus? Nihil in tam corrupta Republ. quam tot mala vexabant, salutis supererat, nisi, quod corrupti Civitatis mores, ad movendas turbas multos invitabant. Cædibus igitur mutuis se atterebant, non vulgus ad talia primum; sed præcipua Romanæ Reipub. capita, mutuisq; abalienata odiis, nonnisi cædes intestinas, intestina arma cogitabant. Jam Marius & Sylla cruentis mutuò ardebant odiis: jam Catilina, cum funestissimis sceleris satellitibus, Ciceroni exitium, Patriæ incendium, orbi vastitatem intentabat: jam Clodianæ factionis socii in cives benè meritos grassabantur: deniq; Pompejus & Julius Cæsar, affinitate licet conjunctissimi, ambitione stimulante, ad arma, ad necem concurrebant, maximasq; clades edebant. Quo successu? ut tota Reipub. Romanæ facies mutaretur, & tandem cuncta, discordiis civilibus fessa, sub unius Octavii Augusti principatum cederent. Si Livoniam; sed qualis seculo superiori exstitit, indice historiâ illius, dispexerimus, nonne idem ferè, qui Romæ vultus? nonne idem prope status morum & mutationum apparet? Postquam enim anno supra
B mille-

O R A T I O.

millesimū quingentesimo primo WALTHERUS PLETTENBERGIUS, Magister, jubar illud Ordinis Teutonici, (de quo silere præstat, quam parum dicere,) Moscovitæ, hosti crudelissimo, & ob potentiam suam spe atq; animo inflato, tantum terroris, cæde instructissimi exercitûs, intulisset, ut inducias annorū quinquaginta cogeretur pacisci, secundo isthoc rerum successu mores plerorumq; sicut fit, in deterius vertebantur, cum æqvâ mente suam ferre felicitatem nequirent. Dominantium in primis animi, instantibus laxati curis, cum vix Pacem, rerum optimam, gustassent, proh dolor! non gradu; sed præcipiti cursu, à virtute desciscabant ad vitia, priorem disciplinam deserebant, corruptos mores sectabantur, in somnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negociis ad ocium se convertentes. Quæ ibi cultus divini cura? quod virtutis aut honestatis studium? Conviviis dies pariter noctesq; sæpius udi Hectores, quorum faucibus, jugi siti ardentibus, vix Cereris aut Dionysii vis sufficeret, cõsumebant. Sic continentia & moderationem, bona in altissima quaq; fortuna eminentia, in superbiam & luxuriam vertebant! Quis hîc exoriri miretur bella civilia? quis perennaturam felicitatem credat? Ipsi etiam prudentiores malum tristissimum, quod adhuc latitabat, plenis inde flammis erupturum cernebant. nec fefellit eos opinio: in mutua ruerunt dissidia. Modò CASPARUS MÜNSTERUS, Prætorii Livonici Præfectus, WILHELMUM FÜRSTENBERGIUM, Commendatorē Vellinensem, ignominiosè differebat, ac si, ruptis legum ordinis repagulis, sibi & Coadjutoratum, & dignitatem Magisterii rapuisset: modò accusabatur Ordo, ac si iniquiùs bonis inhiaret Archiepiscopalibus: modò ipse Marggravius WILHELMUS, Archiepiscopus, & HEINRICUS à GALEN, Ordinis Magister, capita Livoniæ præcipua, collidebantur, ut hîc, auditò Livonicorū statuum consiliò, tympanorum strepitu milites undiq; colligeret, & quæ in Moschum comparandæ vires fuissent, contra Archiepiscopum consumeret. Jam HERMANNUS WESELIUS & JOHANNES à MÖNNICHAUSEN, Dorpati, Osiliæ & Curoniæ Episcopi, cum Ordinis Magistro, sese conjungebant: jam diffidationis literas Archiepiscopo Kokenhusam mittebant: jam Rigenses dato ipsi renunciabant juramento: ignis fumo undiq; erat proximus. O miseriam civilium in Livonia motuum certissimam! O manifestum instar Romanarum turbarum in Livonia! Quantumvis in infelicitate illa feliciorē Rep. Romanâ prædicare Livoniam possimus. Quis enim partes in illâ dissidentes? quis bella dirimere intestina poterat? Nemo prorsus! in sua Romani ruebant exitia: Livoniæ autem, tum hîc in parte, tum in multis aliis, augustissimus eo tempore Rex Poloniæ, SIGISMUNDUS AUGUSTUS, velut salutare sidus, affulsit, & tot animorum tempestatibus finem aliquem imposuit. Anno enim supra millesimum quingentesimo quinquagesimo

O R A T I O.

mo septimo, Mense Decembri, Pasvvaldi, quo sese Bauskenburgo nuper electus Ordinis Magister FÜRSTENBERGIUS, cum Archiepiscopo, & Coadjutore ejus, CHRISTOPHORO, Duce Megapolensi, receperat, in suo ipsius tentorio, suâ autoritate, ipse Rex, interna sopivit dissidia, ut sollemnissimè, datis manibus, & juramento addito, pacificatio firmaretur, & Lithvani quoq; cum Livonis arctiora inirent adversus Moschum federa. Sed ut vaporem Solis æstivi vehementissimum, gravis sæpè cœli fragor & tempestas sequitur, quæ non oculos modò; sed animos quoq; hominum gravissimè exteret: ita Pacem istam optatissimè reductam, turbo belli moscoviticus, turbo impetuosissimus, turbo miserabilis obruit, imò penitùs subruit! Vix enim conventu isto Pasvvaldensi finito, fama, (ut solet) strenuè totas regiones atq; populos percurrit, animumq; Moscovitici Tyranni in novas iras suscitât. Suspectum illi erat Lithvanorum fœdus cum Livonis: Magister Ordinis, HEINRICUS à GALEN, cum quo paucorum denuò annorum inducias inierat, vitam cum morte commutârat. Sub titulo igitur exigendi Dorpatensis tributi, Livoniam, cum infinita latronum multitudine, adoritur, totamq; statim cœdibus horribilibus implet. Quod miseris restabat hîc remedium? Exhausti erant turbis intestinis: Moscovitis arrogantissimis, qui totum Livonorum exercitum, uno à se spiritu difflatum iri, dixerant, resistere non valebant. Necessitas igitur in rationem vertebatur, ut, consumti tandem internis externisq; bellis, primum Protectioni; postea Dominio SIGISMUNDI AUGUSTI se subjicerent. Hæ nimirum vices sunt regionum! Tam variis vicissitudinibus rotantur Imperia! Ut omnibus creatis: ita & provinciis hoc est ingenitum, ut, insitâ quâdam vi, ad casum & mutationem ferantur. Quamquam tota Livonia Dominio Regis Poloni non cesserit; pars enim altera Potentissimo Suecorum Regi subiciebatur, cum Revaliensium Legatis, opem in hostes petentibus, auxilium promisisset. Hôc enim impetratô, ipsi ad Magistrum ordinis, ex Equestri Ordine Reinholdum Lode, & Johannem Winter ex Senatu, ablegârunt, qui, dato juramento, quo obstricti adhuc erant, & Equestris Ordinis, & Civitatis nomine renunciarent. Pars altera ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM transit, in qua deinde ultimus Magister Ordinis, GOTTHARDUS KETLERUS, autoritate Regiâ, Curoniæ Sempgalliæq; Dux constitutus est. O mutationem Livoniæ memorabilem! in qua Curonia præsertim singulari Dei consilio aliam prorsus faciem induit. Deus enim est, qui Regna tribuit & aufert. Deus est, qui Regna convertit. Deus, qui provincias immutat: omnia ex ipsius nutu pendent & arbitrio. Et hanc ipsam quidem Curoniæ, in Ducatum, conversionem, ex certis historiarû, manuscriptis etiam, monumentis petitam, brevi Oratione impræsentiarum explanare statui: quod tamen

O R A T I O.

tamen anteqvam faciam, spectatam toties humanitatem vestram, A. O. O. H. officiosissimè imploro, ut Juveni Curono de Curoniæ conversione, verba breviter tenuiterq; facturo, vestrâ benignitate adesse, ne dedignemini. Tumultuabatur adhuc JVVAN BASILIEVVITZII infania in miseros, & instar tigridis funestæ, sæviebat in omnia: vagabatur per totam Livoniam, infinita latronum multitudo, Livonorum spoliis onusta, Livonorum sanguine cruenta: sine ullo ætatis, ordinis, aut sexûs discrimine omnes contrucidabant: iram omnes vertebant in rabiem. Effusi per pagos ac vias furibundi canes, omnia diripiebant, omnia vastabant: fœminas stuprabant & virgines: pueris tenellis non parcebant: senes, juvenes miserabiliter cruciabant. Undiq; gladiatorum fulgor perstringebat oculos, undiq; armorum sonitus, fragor undiq; audiebatur. Puerorum ejulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus, Moschorum clamoribus, privata, publicaq; circumsonabant omnia: per silvas cadaveribus oppletas hominum cruor manabat: Ipsæ urbes ac arces, pæne dimotæ & convulsæ suis sedibus, suorum incolarum in cæde ac sanguine natabant. Quæ lingua efferendis tot miseriis sufficeret? quæ lacrumæ deflendis iis satis essent? Tot autem malis victi Livoni, pluribus, ut apparebat, maectandi, quid facerent, incertum erat. Convertebant sese ad Germaniam; Poloniam sollicitabant; Sveciam orabant, undiquaq; ad auxilia, pro avertenda interneccione sua, circumspicientes; sed raros miserorum amicos esse, passim experiebantur. Qui enim multum in aliorum misericordia ponunt, ignorant, quam celeriter lacrumæ inarescant. Nemo fideliter diligit, quem fastidit: nam & calamitas querula est, & superba felicitas. Ita suam quisq; fortunam in consilio habet, cum de aliena deliberat. Nisi mutuò sumus miseri, alius alii subitò fastidio sumus: neq; mirum, fortunatos semper pares quærere. Promissis quidem multis ex Germania misellos solabantur; literas mittebant frequentius, iisdem nescio quos montes aureos polliciti. Sed alia requirebantur resistendi tam feroci hosti media, qui properè majorem Nobilissimæ provinciæ partem vastârat; imò ad ipsa ferè Statuum Livonicorum castra, quæ in Districtu Dorpatensi, Kirempeii & Schvvanenburgi, ponebantur, pervenerat. Conveniebant tum ex castris Kirempejenibus Dorpatum Livoni proceres, consultaturi: quibusnam mediis aut modis, Romani Imperatoris voluntatem secuti, vicinum quendam Regem, ad subsidium præstandû, vocarent. Frustra! Tot in Consilio sententiæ erant, quot capita: affectuum hinc inde impetu trahebantur: quisq; illum, unde sibi plurimum sperabat, cupiebat. Ita huic metus, illi cupiditas, isti naturalis eorum, quæ cogitaverat, amor, obstabat, ne solidi quippiam in medium consuleret. Et jam negotio infecto abire tum parabant, cum Consul Dorpatensis, Antonius Ty-leus,

ORATIO.

leus, Vir spectatæ probitatis, prodit, & præfatus: Sibi forsitan utilius esse, parere dicto, quam consilium, inter illos, qui, veluti in Reip. puppi sedentes, clavum tenent, afferre, cum idem illos, qui parent, quod cæteros: qui verò svadent, proprium maneat periculum. Obortis tandem lacrumis dixit: Tot jam dies, consultando tantum de auxilio, consumptos, nihil tamen effectum esse. Ipsimet cogitarent, sive ex Oriente, sive ex Occidente vocarent aliquem, nullum tamen, sine Livonorum damno, damnum hosti Moscho illaturum. Cum ergo multis adhuc divitiis multi abundent, venderent potiùs mundum muliebrem & ornatum, omitterent luxuriæ instrumenta, & illo auro, ad defendendâ Provinciam, fortem colligerent exercitum. Consilium optimum ac fidele! Auditores, surdis tamen narratum auribus. Spernebatur alto supercilio: fœminarum torques, armillæ, monilia, majoris fiebant, quam ut Salus curaretur Patriæ. Privata cuiq; stimulatio, & vile decus publicum. Quam verè hîc militavit, quæ ex Patavino adyto fors data est: *Privatæ res semper offecere, officientq; publicis consiliis!* Pleriq; omnes suo tantum bono velificabantur, non absimiles formicæ, quæ, ut animalculum est sibi sapiens: sic in horto maximè nocivum. Centrum planè ignobile erat consiliorum, commodum proprium, quicquid Livoniæ accideret, cujus afflictis & penè prostratis rebus, quod subsidium arcefferent, ab omnibus derelicti, ignorabant. Unus SIGISMUNDUS AUGUSTUS, verè augustus, Protector Livonorum, & jam propiùs, ex Pasvvaldensi federe, illis junctus, supererat, Heros animosissimus, qui prudentem Christianæ fidei curam & salutis servabat, sive sævus fremeret Boreas, sive nubilus Auster sudaret prælia, sive Oriens turbas creparet, sive minas spiraret Occidens: hujus se benignitate recreabant atq; solabantur: ad hunc, calamitatem Nobilissimæ Provinciæ; sed jam immaniter vastatæ, deplorantes fugiebant: hunc ipse tum temporis Coadjutor Ordinis providentissimus, GOTTHARDUS KETLERUS, ad opem miseræ Livoniæ ferendam inducebat. Certis tamen sub conditionibus, quas ipse Rex & Coadjutor tertio Septembris, anno supra millesimũ, quingentesimo quinquagesimo nono, juramento confirmabant. Nimirum *pro belli sumptibus, novem arces ac Præfecturas, loco pignoris, cum Rege paciscebatur, salvo Imperij Romani jure, quas Ordinibus Provinciæ, bello cum Moscovitâ confecto, aut Pace quacumq; conditione compositâ, sexies centenis florenorum millibus, redimere jus esset.* Eâ de re Instrumenta confecta, sanctè confirmata, & levamina miseriarum impetrata sunt. Nec enim melius esse noverant, contra potentiam majorem, remedium, quam potentiorũ implorare & subire Patrocinium. Neq; una hoc Livonia fecit. Freqvens hoc semper fuit, præsertim populis Italicis. Annon enim Pisani, Aretini, & olim Florentini, cum sibi ab externis hostibus metuerent, suarum Urbium Dominium in annos quinq; Roberto,

O R A T I O.

berto, Regi Neapolitano, transcripserūt? Annon Senenses Johanni Bohemix Regi, & Genuenses, triennio ante, Carolo Francix Regi ita se dediderunt? Nec aliter hodie Lucenses & Genuenses faciunt, qvi se omnino Regis Hispaniarum Patrocinio, qvàm parato semper in castris exercitu, tutiores arbitrantur. Miremur autem meritò illam Regis SIGISMUNDI Humanitatem! Miremur facilitatem AUGUSTI augustissimam! Quantâ à Livonis affectus erat injuriâ, qvos juvabat? qvam graviter ad vindictam irritatus? Cum enim, bello intestino jã exorto, Rositenfis Præfectus, Wernerus Schall de Bell, cum aliis nonnullis aulicis, in prædio Setzenensi viveret, & Legatus Regis Polonorum, Lonsky, Kokenhusam profecturus, hâc transfiret, O factum contra jura gentium perpetratum! arripitur Legatus ille, nudatur, miserabiliter contunditur, corpus illius tot vulneribus laceratur, ut uno vel altero die postea vitam exhalaret. Qvis hîc miris modis exasperatum Regem SIGISMUNDUM negaret? Cædem certè istam, instructo exercitu, ferro & sanguine vindicare volebat, nisi Romanorum Rex, FERDINANDUS I. intercessisset, post preces Legatorum Danicorum, missis Petrovitio, Saurmanno, aliisq; splendidissimis Legatis, Regem benignissimum Livonis Statibus reconcilians. Is ergo, facili humanitate victus, subsidia Livonis nihilominus promisit, licet afflictissimis, licet undiq; & undiq; pressis. O vim facilitatis regix laudatissimam! Fortunatorum aliàs amicitix, multo sunt gratiores, qvam miserorum; sed hominum tantum stabiliores. Felices enim, sicut meritò amicitias sibi oblatas esse statuunt: ita parum religiosè colunt: miseri verò, qvòd in solo beneficio & misericordia aliorum positum videt, curiosissimè, ut inoffensum colatur, student. Qvanqvam beneficio illo subsidario haut diu perfrui Livoni potuerint: his enim conditionibus datum erat, ut Rex Polonia, totam ex Moscovitica tyrannide relictam Livoniam, contra unum hostem Moschû, submisso ex Germania auxilio, defenderet. Sed ubi illud toties petitû frustra, frustra imploratum ex Germania auxilium? Nullû apparebat! Neq; ullum inde, vel aliunde etiam, sperari poterat, cum jam omnia profundis essent nivibus obsita. Quid adhuc? illa ipsa, ex tyranni immanissimi sævitia superstes adhuc, Livonia dividebatur. Mutabant enim animus Revalienses, qvorum qvidem disfidia, scriptis ad eos literis, Amplissimus Senatus Rigenfis, tollere, & firmare animos volebat; nullo tamen successu! Postqvã enim ERICUS XIV. Rex Svecix, Revaliensium Legatis, Johanni Schmedemanno, Senatori, ac Justo zur Hacke, Tribuno plebis, auxilium sub conditione Subjectionis promiserat, ipsi statim ad Illustrissimû GOTT-HARDUM, Ordinis Teutonici tunc Magistrum, Hermannum Szögen, & Rupertum à Gùlsen, ex Harria & Wiria, Ordinis Eqvestris nomine: ex Civitate verò Johannem König, Consulem, Georgium Hünerjägern, Senatorem ac

Lau-

O R A T I O.

Laurentium Schmid, Secretarium, miserunt, quæsituros ex ipso: utrum satis instructo Revaliensibus auxilio succurrere vellet? Quid adhæc Optimus Magister? Solabatur illos, ut decebat, ad constantiam & Patientiam prudenter hortabatur. Sed ipsi juramentum, Ordinis Magistro datum, postea Mitoviæ per alios Legatos egerant, ac, Regis Svecorum nomine, Nicolao Christerfonio, Johanni Larfonio, ac Hermanno Brüffener, Secretario, Homagium, diebus v. vi. vii. Junii, Revaliæ solennissimè præstant. Hic verò confurgentem erat videre nigram Septentrionali ab Oceano nubeculam, quæ continuis, & interdum non modicis, accessionibus aucta, jam immensum se protenderat, totiq̄ propemodum Poloniæ magnâ tempestate gravis imminebat. Svecorum enim Rex occasionem belli, cum Polono, exinde capiebat, ut SIGISMUNDO AUGUSTO non unus hostis; sed plures jam essent oppugnandi. Sic igitur ad incitas redigebantur apud Livonos omnia: nulla eorum calamitas erat sola: abyssus abyssum invocabat. Denegabat Rex Polonus auxilia: nihil subsidij ferebant Germani: Regem Sveciæ priorè, GUSTAVUM, ad ferendam Livonis opem promptissimum, in ipso conatu, invida mors abripuerat! Non semel; sed toties rebellabant Ordinis milites! Modò Ovverpali, cum illustrissimus GOTTHARDUS Magisterii assumeret dignitatem, passis vexillis aufugiebant: modò, quæ in arcib⁹ erant præfidia, idem minabantur. Et jam improbitas eò Vellinenses incitaverat, ut Moscho arcem, & in ea Magistrum emeritum, WILHELMUM FÜRSTENBERGIUM, obsidenti, impiè proderent, & lanienæ tyrannicæ Dominum suum offerrent. Neq̄; aliorum fides satis firma erat: stipendia urgebant omnes acerrimè: unde verò ista? Nervus belli, pecunia, deerat: tyrannus denuò furibundis imminebat copiis: alii ad Livoniam reliquam diripiendam accurrebant. O mare calamitatum, in quo adhuc reliquiæ Livoniæ versabantur! Quantillum enim ordini & Archiepiscopo supererat? Totum Ducatum Wirix, Vellinum, Marienburgum, integram Dorpati Dioccesin, usq̄; ad Archiepiscopatū Rigensem, Tyrannus tenebat: Revaliam cum arce, Padies, Borckholmum, alia Sveci possidebant: Districtum Osiliensem, Wikensem, ac Curoniam, MAGNUS, Holsatiæ Dux, intempestiviùs in Livoniam appellens, habebat. Quid hîc Archiepiscopus? Quid Ordo cum suis reliquiis, quibus itidem auferendis plures imminebant alii? Mortem nè potiùs expectarent miserrimam ab Oreste Moscovitico, an libertatem certam subjectione permutarent? Libertatem rem inæstimabilem, & ipsa nobis luce cariorem esse, nemo nescit. pro hæc discrimina bellorum, vulnerū, mortis subire plurimi non reformidant; sed ubi nihil ejus retinere licet. Quicquid enim aliàs Catoni videatur, qui mori, quam alicui parere maluit, si aut libertas amittenda, aut salus atq̄; vita totius populi, in præsentissimam

ORATIO.

mam perniciem, adducenda, quis hanc illi non præponat? Cogitate, Auditores, furorem Tyrannorum, immanissimâ sævitiâ hinc inde grassantium: cogitate cædes atq; vulnera carissimorum pignorum, matrum, conjugû, liberorum: cogitate qviritalis atq; ejulatus infantium, mulierumq; innocentissimè pereuntium. Hic, hîc profectô Pax, cum libertatis licet immi-
 nutione, utilior erit, quam periculum internecionis, quod, cum libertate, Pacem pariter ac vitam omnium exitio damnat. Eat ergo Vibius Virius Campanus, cum pessimo suo consilio! qui, cum Romani urbem obside-
 rent, septem & viginti Senatoribus persuasit, ut secum mortem, quam sub-
 jectionem, mallent! Eat cum omnib; qui ipsum secuti domum, ac inter e-
 pulas, alienatis vino mentibus ab imminentis sensu mali, venenum sumse-
 runt, ut priusquam hostibus aperirentur portæ, exspirarent. Brutis ipsis ex-
 senses illi sævierunt deterius, ac sine mentis usu sese necaverunt. Meliùs an-
 tea illi ipsi *Campani* fecerât, qui, cum Defensionis pactum inire cum ipsis Ro-
 mani nollent, auxiliumq; adversus Samnites, quippe federe sibi junctos, de-
 negarent, prompto animo dixerunt: *Quandoquidem nostra tueri adversus vim atq;
 injuriam, justâ vi non vultis, Vestra certè defendetis. Itaq; populum Campanum, Urbemq;
 Capuam, agros, delubra Deûm, divina, humanaq; omnia, in vestram P. C. populiq; Roma-
 ni ditionem dedimus. quicquid deinde patiemur, deditiû vestri passuri.* Num quid a-
 liud Livoni reliqui egerunt? Campanos; sed ex prudentiâ consulto se de-
 dentes, secuti sunt, postquam totos annos quatuor soli, nullis adjuvanti-
 bus, cum immanissimo Tyranno, bellum gessissent. Desperatis enim aliis
 auxiliis, anno supra millesimum quingentesimo sexagesimo primo ipsum
 Archiepiscopum, ac Magistrum Ordinis, cum Romperto Gilzenio, Juris
 Doctore, Georgio Francken, Fabiano à Borch, Heinrico Platter, & Johan-
 ne de Medhè, Livonicorum Statuum legatis, plenissimè instructis, Vilnam
 mittunt, qui, cum eò die XIV. Octobris pervenissent, die XIX. in arce Vilnensi,
 tertiâ pomeridianâ, quid velint, Regi SIGISMUNDO AUGUSTO, per Orato-
 rem suum Justum Cloth exponunt, & se Regis, Regniq; Poloniæ subditos
 fore, unanimiter declarant. Quam sollicitè ab illo die, in subjectionis pa-
 ctis, laboratum, & in has tandem conditiones transactum est: *ne Principis
 mutatio Livonis apud Cæsarem aut Imperium damno sit: ut Confessionis Augustanæ
 professio libera promittatur: Nobilium privilegia confirmentur: omnimoda Jurisdictio,
 juxta leges & consuetudines, & mores antiquos, salvo tamen provocationis jure, ser-
 vetur: penes Magistratum Germanicum Jurisdictio maneat: Magister Ordinis Dux cre-
 tur, eiq; ditiones novæ, hereditario jure, attribuantur, quò factò Transduina provincia Re-
 gi cedat, Riga item, cum omni ejus territorio ac Jurisdictione, prout Imperio suberat, in eaq;
 illustrissimus GOTTHARDVS, novus Dux, tanquã Regis Poloniæ Legati partes teneat:
 alia quoq; quæ ad compensationem juris, quod MAGNO Hollato compete-*
 bat,

ORATIO.

bat, pertinebant, pluraq; uno omnia instrumento comprehensa: triduoq; interposito Nobilitatis privilegia, altero simul instrumento, confirmata sunt. Secundum hæc Rex ipse statim, posteaquam omnia Livonis nequiter erepta, aut per ultimos belli tumultus à Moscho avulsa, se recuperaturum, & antiqvis restitutum Dominis promississet, & Archiepiscopus Rigensis, cum Magistro Ordinis, fidem solemni juramento interponunt. O actum hunc subjectionis memorabilem! ô digna Dominis Livonis studia, conatus, labores! Verè illud probè expendendum fuit, quod statuendum semel, eò, quod nunquam nimium Prudentiæ in talibus adhibeatur, ubi satis esse nequit. Certè præterita, beneficio memoriæ, respicienda sunt, & ex illis de præsentibus, propter futura, quod agendum, agendum. Futurorum imprimis haberi debet ratio, ut, priusquam ipsas res aggrediamur, commodissimè illas quasi incedentes excipiamus & obviam, quod quidem attentissimè curatum esse illo tempore, res ipsa loquitur. Et jam conversio CURONIÆ, consilio divino, imminebat: Jam facies ei alia, exigente ratione temporum, sumenda erat. Magnum opus, Auditores, magnum & æternè dignum memoriæ negotium; quid mirum, si tantum quoq; post DEUM, autorem, requisivit? nec enim quilibet magnarum rerum gerendarum capax existit; invictos humeros tantarum rerum moles poscebat. Neq; tales in Curoniæ mutatione desiderabantur. Magno conversionis negotio, Magnus Vir divinitus admovebatur, quem sæpius laudavi, Illustrissimus Dominus GOTTHARDUS, Ordinis Teutonici Magister ultimus, qui, magnis ac illustribus ortus natalibus, cum vigesimum ætatis annum attigisset, instinctu sine dubio divino, à Parentibus in Livoniam missus erat. Cum verò ex illius factis singulare quiddam & divinum elucesceret, magno statim omnium consensu, in Ordinem Teutonicum assumptus, & expeditionibus gravissimis adhibitus est. Quantum ibi exerebat sese statim indoles Heroica? quam illustribus promicabat radiis? Legationes huc & illuc obeundæ erant? Obibat prudentissimè! Pacis aut Belli negotia expedienda? expediebat felicissimè! De maximi momenti rebus consultandum? consultabat gravissimè! Idcirco, cum propter Ordinis salutem in Germaniam, ad Electores, aliosq; Principes legatione fungeretur, constantem animum, & tempestatibus quibuscunq; insuperabilem ostendit. Nec enim vel naufragio deterreri à proposito potuit. Exsecutus illud est strenuè, & per obstantes itineris difficultates, acriori subinde studio, egit omnia, Reip. studio omnia esse superanda existimans. Quis, ex ejusmodi operum auspiciis, spem futurorum bonorum certissimam non conciperet? Quis fundamenta solidæ dignitatis hinc excitata non videret? Re certè laudabiliter gestâ cum reverteretur, Wolmaria in Conventu publico, anno supra millesimum quingente-

O R A T I O.

gentesimo quinquagesimo quarto, ipso Trium Regum die, non tantum Commendator Duneburgensis factus; sed novâ etiam in Poloniam legatione ornatus est. Ita per labores ad labores alios, subinde vocabatur cœlestis animus. Talis enim erat. Ut enim alia cœlestia, continuo inferioribus motu inserviunt: sic ille etiam pro Reip. Livonicæ salute, novis subinde laboribus exercebatur. Vix in Polonia Legationem suam expedierat, ecce in Germaniam denuò, ad colligendas vires militares, ab Ordine mittitur. Nec detrectat iter, licet difficillimum; sed anno M. D. LVI. ante Bacchanalia, per Lithvaniam, Poloniam, Silesiam, Saxoniam, Lubecam tendit, indeq; rebus, ex voto omnium, citiùs tamen opinione omnium, peractis, feliciter redit. Quanta ejus ab eo præsertim tempore inter omnes veneratio? quantus in Illustrissimum GOTTHARDUM totius Livoniæ, maximorum, minimorum cultus? quanta per Poloniam, per Lithvaniam, per Borussia, per Germaniâ nominis KETLERIANI celebritas? Totus Ordo, ut insigni quodam argumento, suum in tot ejus merita studium probaret, principem ei in tota Livonia præfecturam offert, Wolmariaq; ipsum, in conventu solito, Vellinensem Commendatorem proclamat. Quantum ille posthac in Livonia præstitit? quantis periculis pro Salute ejus caput suum objecit? quantum in servanda ea laboravit? Ut suo certè, si quis unquam, merito anno sequenti, Livoniâ ferè ad incitas redactâ, præter suam tamen voluntatem, splendidissimâ Coadjutoratûs dignitate IX. Julij maçtaretur. Quid hîc laudatissimus GOTTHARDUS? CUIUS VOCANDUS IN SUBSIDIIUM KEX POLONORUM esset, ipse, ipse, ut illustrius officium, illustriori quoq; in Livonos beneficio ornaret, in Poloniam profectus est: Ipse Livonorum bono ibi fecit omnia. Quis enim SIGISMUNDUM AUGUSTUM, Regem Poloniæ, ut auxilia Livonis ferret, ut hostiles ab iisdem Moschorû impetus in se ac sua Regna converteret, permovit? Interrogate temporum illorum Scriptores! Unum hunc GOTTHARDUM, singulari cœli curâ, his admotum curis nominabunt & prædicabunt; qui, ut antehac Illustrissimum Principem NICOLAUM RADZIEVILIUM, præcipuum illius seculi ornamentum, amore sibi, cum Düneburgi adhuc esset, seriò devinxerat: ita proceribus Poloniæ præcipuis, ob singularia Prudentiæ specimina, longè erat acceptissimus. autoritate quidem apud omnes maximâ pollebat, ut, nisi vigili ejus sollicitudine, vix tantum potuerit negotium confici. Ut in telo aliquo aut gladio multum interest, à quâ manu veniat: sic in negotio, ut succedat, multum facit robustæ alicujus & receptæ autoritatis pondus, quod in Illustrissimo GOTTHARDO omnes mirabantur. Huic igitur Livoni adhærebant unicè, hunc Patrè appellabant Patriæ, huic summâ Magisterii dignitatem, quam FURSTENBERGIUS deposuerat, deferebant: In hoc salutis suæ spem, post Deum, reponebant unicè. O insuperabilem verò

ORATIO.

verò difficultatem illorum temporum, quæ augustissimarum quoque; mentium conatus eluderet! Verè hîc apparuit, majori laude, qui Resp. conservant, quam qui constituunt, ornandos esse. Ut enim autores, pro arbitrio, inter Pacem & quietem agunt: ita conservatores cum pluribus hinc inde difficultatibus certare coguntur. Faciliùs exstruitur navis, quam servatur, præsertim cum procellarum tanta insolentia est, ut omnem Gubernatoris curam & industriam contumaciter eludant. Unum ergo hujus votum est, ad portum quendam tutum appellere: Unum etiam hoc votum Gubernatoris & Magistri Livonici fuit: hoc ipsum unicè egit, ut suorum ruinam averteret, quam etiam, subjectione illâ hujus Provinciæ Regi Regnoque; Poloniæ factâ, prudenter & feliciter evitavit. O invictum erga subditos amorem! Nihil ille intentatum, modò suos ab exitio præsentissimo servaret, nihil intactum reliquit. Quantum est, Auditores, Principem ob salutem subditorum ire velut in exsilium? Certè magnum est! Et tamen illud in animo GOTTHARDI nostri fuit, in quo, quicquid est, magnum est. Quid enim voluit? Subditis alij jam Domino obnoxiiis, omnem fortunam æquo laturus animo, in Germaniam abire voluit, ut ibi, quicquid vitæ reliquum, in pace transiret. Quid verò ejus subditi? quid Consiliarij? Ingens apud eos, ex hoc Domini sui proposito, sollicitudo, & jam luctus, flentes, plorantes, lacrumantes ipsum sollicitat: maneat, in Regis benignissimi voluntate acquiescat. GOTTHARDUS, inter subditorum preces abeundi que; propositum constitutus, & ignarus quid faceret, ut maneret, ex Borussia etiam est monitus. Quæ & alia dum perpendit secum altiùs, ecce Rex Poloniæ, SIGISMUNDUS AUGUSTUS, ut carissimum sibi semper Magistrum GOTTHARDUM retineret, in fastigium Ducalis dignitatis evehit, partemque; subjectæ Livoniæ, Curoniam nimirum & Semgalliam, cum generali Livoniæ reliquæ Præfectura, ei offert. Sicut igitur anno M. D. XXV. ALBERTUS, Ordinis Teutonici in Borussia Magister, posteaquam bellum grave, bellum satis cruentum, cum SIGISMUNDI AUGUSTI Prædecessore ac Patre, SIGISMUNDO I. gesserat, induciisque; in annos quatuor pactis, nullum à Cæsare auxilium acceperat, Pacem cum Polono faciens, ei fidem tanquam Regi suo dedit, mutatoque; Ordine, partem Borussiae accepit, ut, qui fuerat ante Magister, autoritate Regis Dux Borussiae salutaretur: Eundem prorsus in modum, SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Rex Poloniæ, Illustrissimo GOTTHARDO, Ordinis hucusque; Magistro, titulum Ducalem, cum omni dignitate, insignibus, Privilegiis, illaque; Livoniæ parte, cum omni jure obtulit & confirmavit. Jamque; tempus illud, tempus omnibus Curonis memorabile, tempus gratâ mente repetendum, imminebat: illucescebat lux splendidissima III. Nonarum Martij, anno supra millesimum quingentesimo sexagesimo secundo, quâ
trans-

O R A T I O.

transactio consummanda, dignitas promissa Duci nostro conferenda erat: quem quidē actum oculis Vestris quodammodo subjicere vellem; sed ad hoc ipsum artifex ingeniosior, eloquentia robustior requiritur. Ut tamen omnia animis vestris, Auditores, manifesti⁹ subjiciā, vester labor erit, si placet, ut de Auditoribus Spectatores reddamini. Cogitate Palatium in hac arce Rigenfi amplissimum. In una parte collocata sellam, Regio honori splendidissime ornata, in qua Illustrissimus NICOLAUS RADZIEVILIUS, Regius Legatus, constitutus est. Circa illum magna, variarum nationum, caterva oculos & aures arrigens, glomeratur. Ex altera parte Illustrissimus GOTTHARDUS adest, quem præcipua Livoniæ ornamenta, cum reliquæ Nobilitatis flore & Consiliariis late stipant. Totam aream ingens omnium ætatum, omnium Ordinum concursus, effusaq; omnis generis multitudo implet. Ecce hîc Illustrissimus GOTTHARDUS accedit ad Legatum, & coram eo Ordinem ritu solemniter egerat: Ecce jam crucem, Ordinis insigne, illi porrigit, tū sigillum, literasq; ac Diplomata, quæ Ordo Teutonicus ab Imperatore ac Pontifice acceperat, cum omni jure RADZIEVILIO tradit: officium una Commendatoris, atq; alia jura Regi cedit. Quid hîc nisi funus ducitur Ordini Teutonicæ militiæ, qui tot annos Livoniam gubernârat? Anno quidem, uti referunt, M C LXXXVIII. HEINRICO VI. Friderici Barbarossæ filio, Imperatore, primum habuit ortum: deinde circa annum M C C IV. ALBERTO III. Episcopo in Livoniâ, fuit superadditus, sub hâc conditione, ut, *quas terras Ethnicis eriperent, Ordo hic Ensigner, quæq; Magister, qui primus VINNO dictus erat, possiderent.* VOLQVINUS verò, secundus Ordinis Ensigneri Magister, cum HERMANNO à SALTZA, Ordinis Crucigeri Magistro in Borussia, egit, ut Ordo Ensigner in Crucigerum transcriberetur, quod mortuo etiam illo factum est. Tamdiu igitur Ordo Cruciger Teutonicus Livoniam rexit; sed a stro Ducalis dignitatis in hac arce oriente, penitus extinctus est. Sed jam Illustrissimum Legatum Regis RADZIEVILIUM, acceptis, quæ sunt tradita, ad dicendum video accingi. Quid promit Sacrum Regis os in Livonia? Publicè GOTTHARDUM Curoniæ Sengalliæq; Ducem creat; GOTTHARDUM quam solemnissimè Ducem Curoniæ & Sengalliæ proclamat. O vocem omnibus Curonis auspiciatissimam! Illustrissimus Princeps ac Dominus eorum, Dominus GOTTHARDUS, in Ducalem sublimitatem splendidissimè elatus est! O Nonæ Martiæ, quam faustam ac felicem toti Curoniæ, nobisq; vestri memoriam reliquistis! O dies vestros, dies magnæ indices lætitiæ! Quis hic sensus omnium? quæ exultatio? quæ juba? Omnes certè, inter tympanorum undiq; sonantium strepitûs, inter tubarum clangorem, redundantem & foras erumpere gestientem lætitiâ, ore, oculis, manibus indicant. Omnia faustis acclamationibus undiq; & undiq; personant: omnium in no-
vo Duce

O R A T I O.

vo Duce fixus obtutus: omnium vox una: Vivat Dux GOTTHARDUS opti-
 mus! Vivat Dux GOTTHARDUS præclarissimè meritis! qvi jam augustiori
 vultu decoratus, inter gratulantium vota, procedit, cui fidem suam utriusq;
 Ducatus Nobilitas, solemnijuramento, ceu Principi suo hereditario, con-
 firmat. Salvete Augusti vultus, (liceat & mea mihi verba miscere gratulan-
 tibus,) qvos intra fortitudo illustre sibi struxit palatium! Salvete Ducalis Il-
 lustritatis splendida lumina! Vestrarum virtutū radiis orbis collucet, meri-
 torum fulgore inclarescit Livonia. Salve splendidissime Curonorum Phos-
 phore, auspicatò exorte, & redde, post tot atros dies, tot Curoniæ noctes
 perpetuas, innubem miseris diem, qvem nefasti haçten⁹ Tyranni impetus
 obnubilârunt. Vivat Dux! vivat Pater Patriæ! Vivat GOTTHARDUS, Deo ac-
 ceptissimus, Deo dicatissimus! Sic, sic virtus suum tandem aufert præmiū!
 Sic meritis illustrissimæ dignitatis titulis ornantur labores, pro Salute Patriæ
 & Ecclesiæ, qvi profectò unicum obtinendorum, unicum retinendorum
 honorum fundamentum existunt. Nihil temerarius astrorum influxus,
 nihil cæcus fortunæ favor, nihil pestilens ambitio in hoc fecit opere. Vir-
 tutibus GOTTHARDIANIS, qvò delatum est, delatum est, ejus in primis nu-
 tu, qvi & astrorum & fortunæ, si qva est, & universi orbis regimen obtinet.
 Hujus voluntate Reges, Duces, Principes occidunt, hujus Providentiâ con-
 stituuntur, confirmantur, conservantur. Ejus arbitrio Imperia stant & ca-
 dunt: afferuntur & mutantur, qvò in Curoniæ qvoq; conversione valuis-
 se, & præcipuè spectandum esse, qvis inter Christianos nomen professus su-
 um dubitet? Faceffant hîc clamores nonnullorum molestissimi! Taceant
 rigidiores dicam, an iniquiores? illi rerum judices, qvi Livoniam nullam
 ob causam se Polonis subjecisse, qvi contra omne jus & fas ab Imperio Ro-
 mano defecisse, qvi nescio cujus criminis laudatissimum GOTTHARDUM re-
 um agere, audent, qvò suam isti subjectioni operam commodaverit!
 Quid enim? Solane ob discessum ab Imperio Romano Livonia damnabi-
 tur? Sola vapulabit cum Magistro suo? Certè, si Hispania (ut unum hujus
 rei aliunde exemplum arcessam:) si illa suam ab Imperio exemptionem
 satis justè tueri potest, qvò eam, maximâ infelicitate sub Arabum Tyran-
 nide laborantem, ipsi Hispaniarum Reges, suis periculis, suo qvoq; sangvi-
 ne, absq; ullo Cæsarium auxilio, à Christiani nominis hostibus, liberârint:
 qvanto magis Livonia, ab omnibus derelicta, vastata, consumpta se tueri ra-
 tione istâ justè poterit? Indissolubile qvidem Imperantium & subditorum
 est vinculum, fateor; sed matrimonij qvoq; est ejusmodi; & tamen, ubi al-
 tera pars, alteram temerè deserit, quarum cunq; legum consensu cessat obli-
 gatio. Ita si Imperantes, parètes prorsus derelinquant, omni illos auxilio de-
 stituant, omni se eorum curâ abdicent, qvæ ibi vinculi firmitas? Nemo di-

O R A T I O.

cet, Regnum Regi profugo devinctum manere. Parum autem à profugo distare eum, qui omnem populi sui curam fugit, cum juvare possit eum atque debeat, vix dubium est. Misisti Legati Livonorum ad CAROLUM V. anno M. D. LI. satis tempestivè, pro impetrando, adversus imminetia mala, auxilio. Frustra! Ad petenda Regni Svecici & vicinorum aliorum auxilia dimittebantur miseri. Denuò Statuum Livonorum nomine, anno M. D. LIX. ad FERDINANDUM I. Comitum Augustæ celebrantem, Georgius Segebergus ablegatus est, qui miserabilem Livoniæ statum cum lacrimis, omnibus Imperii Proceribus, exposuit: frustra! Centum millia tantum aureorum, summa & Imperii Majestate, & temporum necessitate longè minor, decreta. Quæ autem fiducia in tam exili subsidio collocari potuit? Rursum explicabatur imminens mutatio Cæsareo Legato, Zachariæ Hoffmanno, & quod magis est, certum determinabatur tempus, quo, nisi valida adessent ex Germania auxilia, certò vel temporale, æternumque Livoniæ exitium, vel mutatio futura esset. Frustra! Neglecta, deserta, desolata mansit Livonia, donec tandem fato quodam, frustra consumptis miserorum impensis, curâ, diligentia, labore, in mittendis, ad Imperatorem aliosque vicinos Reges, Legatis, hanc mutationem subiret. O singulares Imperiorum in his terris periodos! Nemo forsitan, præter Deum, causas noverit, quod ita neglecta, sprete & rejecta quasi, ab Imperio, hæc Livonia fuit. Quid ergo est, quod temerè hic factum à Livonia dici possit: Obligabantur quidem Imperio; Sed mutuò: quid? obligabantur cum tacita summæ necessitatis exceptione, sub qua obligationes fieri, legesque ferri sine dubio solent. Certè obligatio subjectionis Livonorum pendebat ab eorum voluntate, qui se primum Imperio Romano subiciebant. Si verò Principes illi laudatissimi, in quos Jus ab Imperio manabat, interrogati tum fuissent; Utrum velint hæc subjectione Livonis istâ imponere necessitatem, ut tyrannicè cruciari, laniari & affari præoptent, quam derelicti undique; alii se subicere Christiano Principi? Haud sanè scio, an se velle respondissent? Quin potius, ut homines fuere, ita, humanitatis ductu, salutem se illorum malle, quam perniciem extremam dixissent. Quid verò, nisi Regno se Poloniæ, reliquæ subjecissent Livoniæ, ipsis expectandum erat? Iidem laniatus lacrumabiles, iidem cruciatus immanissimi, quibus tot viri fœminæque in districtu Dorpatensi, in Wiria & alibi miserabiliter perierunt. Quæ vox, Auditores, eos satis efferre? quæ lacrumæ deflere satis possent? Hic latrones quidam immanissimi, cruento acinace, prægnantes dissecant fœminas, partumque & infantes alios sudibus affixos, semivivos vel igni admovent, vel bestiis dilaniandos exponunt: Ibi alii arreptos senes, Juvenes, viros, mulieres, truci manu, prosternunt, & ô infandum cruciatum! latus ferro apertum, tormentario adim-

ORATIO.

adimplent pulvere, ignemq; admovent, ut sic in altum miseri tollantur & disrumpantur. Isthic alii, tenellos lactantesq; adhuc, nutricum abstrahunt mammis, collum, è quo lac cruore mixtum manat, abscindunt, & intestinis abjectis, veribus configunt. Quid de impurissimis dicam canibus? tot illi virgines, tot fœminas à se stupratas, arboribus horribiliter applicant, & hastâ, eqvo calcaribus concito, transfigunt, ut per dorsum ferrum emineat. Quid de illis referam, qui barbarâ insanientes feritate, quosdam viros præacuto affixos palo, sagittis, ac si ad scopum collinearent, petierunt, donec sagittis continuò missis, carne, vivi adhuc, ossibusq; nudis manentibus, spoliarentur? Non est mirum, quod horrendâ ferarum Moschicarum crudelitate territi, tot viri fœminæq; una cum infantibus, seipsos Wendæ morti obtulerunt, omnia potiùs, quam tanta tormenta perpassuri. Cum enim hostis truculentissimus, cum majore filio natu Johanne, horrendum in modum grassaretur, ipsam arcem, oppidumq; Wendam gravi obsidione cingens, cum spes effugii non superesset, Sacrà Cœnâ sumtâ, arci pulverem supposuerunt tormentarium, quo incenso, mutuis amplexibus juncti, inter querelas & suspiria, inter ejulatus & qviritus, inter lacrimas & clamores ad Deum, in aërem projecti perierunt. O spectaculum etiam non periclitantibus tristissimum! O factum ipsi tyranno, si modò quicquam in eo superfuit humani sanguinis, flebile! Tyranno, in cujus castra, quædam hominum combustorum & laccratorum membra, pulveris impetu projecta sunt, quibus suam utiq; satiare rabiem potuisset. Quis non omninò illum diceret immitissimum, qui fugienda esse quoquomodo ista mala nõ putaret? qui tale ferendi onus miseris Livonis imponeret? qui subjectionem ideò factam reprehenderet? Declinanda erant ista, & à misellis reliquiis avertenda, quod prudenter satis Principes optimi, Archiepiscopum intelligo & Ordinis Magistrum, subjectione istâ suâ præstiterunt. Cum verò Dux Illustrissimus GOTTHARDUS, quâ erat Prudentiâ, facillimè conjiceret, ab inhumanis factorum alienorum scrutatoribus, hoc ipsum quoq; in Imperio Romano reprehensum iri, neq; esset nescius, quid Illustrissimo Borussiae Duci, ALBERTO, factum sit, & quomodo ille, sollicitate Vualthero Cronbergo, fuerit ab Imperio Romano proscriptus, neq; misso licet à Rege Polonorum Legato, Stanislaò Lasco, ab hac proscriptione liberari potuerit, idcirco cautionem à Serenissimo Rege SIGISMUNDO AUGUSTO, ne sibi hæc subjectio damno apud Cæsarem aut fraudi esset, impetravit. Neq; verò ullam ex Imperio molestiam, quæ quidem ab historicis notetur, propterea Curoni senserunt, multominus ullo proscriptionis fulmine ad annum usq; M. D. LXXIX. tacti sunt, testante Regis STEPHANI Diplomate, quo promissam cautionem, & alia à Prædecessore collata, amplissimè confirmat;

O R A T I O.

mat, ut inde jus illud mutationis satis firmatum, ad hæc usq; tempora ju-
 dicetur. Æquum enim judicârunt Proceres Imperij, miseriarum huma-
 narû affici dolore, ne afflictis adderetur afflictio, ne tot malis exhausti, &
 vix respirantes, sub Rege suo gravibus turbis macerarentur. Quod
 verò & quantum malum, nisi hæc mutatio fuisset facta, Curoniæ præfer-
 tim impendisset? Dicam uno verbo: Exitium, idq; crudelissimum & mi-
 ferrimum! Sed felicitis hujus conversionis beneficio, Deo benignissimo in-
 dulgente, inde præservata, multum sibi gratulabatur. Neq; id immerito!
 Si enim illi, qui ex tempestatibus marinis, ubi inter ventorum, undarumq;
 prælia satis diu projecti, disjecti, rejecti fuere, lacerato licet velo, in portum
 deducuntur, cum dolore quidem aliorum aspiciunt naufragia, sibi tamen
 seriò de libertatione gratulatur quidni Curonia quoq; cum reliquam Livo-
 niam, Lettiam, dico, Harriam, Wiriamq; aspexit, dolere quidem; sed gau-
 dere etiam & multum sibi gratulari potuit? Ibi enim Sveci, ibi Dani, ibi
 Moscovitæ, ut fieri in bellis amat, omnia diripiebant, incendebant, vasta-
 bant: sola Curonia & Sempgallia, ô singulare Providentiæ divinæ beneficiû!
 sola illa tunc incolumis, sub Patre atq; Duce suo GOTTHARDO, verè GOTT-
 HARDO & in DEO FORTI, respirare ac reflorescere incipiebat. Ipse furibundus
 Moscovita quietam illam relinquere malebat, quam pessundare. Mirum
 est! & grato repetendum animo, quam mirè Deus rexerit illius animum.
 Cum tyrannus anno M.D.LXXVII, cum toto exercitu Kokenhusâ, ubi crude-
 lissimè sævierat, Wendam reverteretur, ne infestis quidem oculis Curoniã
 turbavit. Imò Duci nostro, eandem suis metuenti tempestatem, & in hu-
 jus Civitatis arce commoranti, in responsoriis promisit, se Curoniam, quam
 per contemptum sine dubio, **GOTTESLANDS ÖHEN** / nominavit,
 intactam prorsus relicturum: quam vocem, vocem à tyranno quidem pro-
 fectam, festo tamen plausu Dux piissimus excepit, ut exultabundus in hæc
 verba prorumperet: Quod si ergo Ducatus meus DEI TERRA est, ut omni-
 nõ est, quid mihi meisq; metuam? DEUS terram suam asseret, DEUS freno
 potentiæ hostem avertet, DEUS firmam satis tutelam undiq; præstabit. O
 beatam Patriam! O faustam ac felicem Curoniam! Quis tuam hanc felici-
 tatem satis potest exprimere? Te ipse hostis prædicat! Te tyrannus ipse DEI
 TERRAM nominat! ô magnam felicitatem! ô felicitatis nomen, omine feli-
 ci commendabile! Verè enim fuit abhinc Curonia DEI TERRA, ubi sedem
 verbi sui, ubi aras & focos DEUS habuit, postquam in hac ipsa mutatione
 purum ejus h. e. Lutheranum cultum retinuit. Confirmabat enim eum
 Rex Poloniæ dato de Religione Diplomate augustissimo, quo tam ipsi Du-
 ci, quam Civitatibus, subditisq; cuiuscunq; ordinis aut status fuerint, libe-
 rum Religionis ac receptorum rituum usum, juxta confessionem Augu-
 stanam

O R A T I O .

stanam statuminat. Ipse Dux Illustrissimus hoc in primis, ne dicam unice, agebat, ut semel à Rege Poloniae confirmata, pure in Ducatibus suis conservaretur. Ipse omnem movebat lapidem, ut Ecclesiastica conficeretur Ordinatio, ut examina, quibus ipse toties interfuit, ut visitationes passim instituerentur, ut libri Lettici in lucem ederentur, quemadmodum tot ejus Constitutiones, tot mandata, satis superque toti mundo contestantur. Et quid aliud Illustrissimis suis filiis, FRIDERICO ac WILHELMO, pius Princeps inculcabat toties, quam ut singularem semper Ecclesiae Dei curam agerent? ut hanc terram DEI TERRAM esse recordarentur? Ignei enim vigoris fomite, quo paternum peccatum abundabat, filiorum quoque accendebat animos. Ideoque, ut ab aetate ineunte, illustrissimum, in Ducis Celsissimi & Fortissimi FRIDERICI, corde, palatium pietatis exstrueret, eum tredecim annorum adolescentulum, Orationem latinam, plenam dictorum SS. in praesentia tot Consiliariorum atque Capitaneorum, habere jusfit, cum anno M. D. LXXXII. templum in arce Mitaviensi inauguraretur. Quid hanc pietatis curam sanctius aut Principe dignius existat? Noverat scilicet Curoniae gentis Stator providentissimus, noverat Heros Dei, GOTTHARDUS, pietate ac Doctrina, praecipuis & principalibus decoribus, cuncta optimè regi: noverat, citius urbem sine solo, quam Remp. sine Pietate atque Religione conservari: noverat, optimam humanae vitae rectricem, piam justumque; normam, frenum in prosperis, in adversis solatium: hanc corda hominum cum corporibus, artes & arma, necessaria in primis Reip. instrumenta, arctissimo conjungere vinculo noverat. Quidni proinde Curoniae de tanto Duce gratularentur viri ex Germania celeberrimi? quidni felicitatem ejus modò ex Megapoli, magnus ille Chytraeus, modò ex Borussia, celebratissimus Wigandus & alii praedicarent, & dedicatis Illustrissimo Duci scriptis suis sanctissimis, toti mundo gloriam virtutum Heroicarum patefacerent? Quam sollicitus jamdudum de Illustri quaedam Scholam exstruendam fuit Princeps optimus? Prudentem enim Oeconomum imitabatur, qui non tantum omnia, ut bene sese habeant, disponit; sed & sibi promptuarium constituit, è quo necessaria quaecumque depromere, & in usus suos, suorumque; adhibere possit: ita ipse non tantum Ecclesiis & aliis in utroque; Ducatu officiis diligentissimè prospexit; Sed unde illos etiam acciperet, quos suis praeficiat, crebro cogitabat. Imò cum adhuc Commendator Düneburgi esset, cum animo pio hoc propositum conceperat, ut Gymnasium illustre hinc exstrueret, & primarium Rostochiensium Theologum, David Chytraeum, Rectorem ejus constitueret. Sed ipsum Chytraeum audiamus, de ejusmodi proposito. *Nectum primum, inquit ille, Christianus hic & Optimus Princeps, cum Celsitudo ipsius, post summi Magistratus Livoniae mutationem, Ducatus summi Gubernationem susciperet, hanc diligentiam in Ecclesiis & scholis*

O R A T I O.

constituendis adhibuit, verum & antequam de Moscovitici Tyranni irruptione quisquam cogitaret, cum tota adhuc Ordinis Majestas, & potentia in summo flore essent, hæc consilia, quæ alii Ordinis Magistri parum curabant, serio suscepit, ut Ecclesie & scholæ sub ordine meliore & statu essent, sicut Celsitudo ipsi, ante quadraginta duos annos, cū summi Ordinis Magistri Commissarius Lubecæ, & adhuc Dineburgi Commendator esset, mecum per sibi adjunctū Nobilem & literatum Georgium à Syberg, eo tempore domūs Rigensis Commendatorē, jam Principis Juliacensis Consiliarium & Capitaneum in Blankenstein, qui voluit, quod, quamprimum eo tempore vigens cum Archiepiscopo controversia esset sedata, tantū apud Ordinis Magistrum & Ordinis Præfectos se obtenturum rebatur, ut ludus literarius vel Gymnasium erigeretur, in quo, cum aliis artibus & linguis, præcipuè Catechismus ac summa Doctrinæ Christianæ diligenter excoleretur, & barbarorum Esthonorum, Lettorum ac Curensum liberi, in lingua latina & Christiana Doctrina ex fundamentis instituerentur, ac ad concionandum apti ac prompti redderentur. Mecum, inquam, egit, ut ejus Gymnasii Rectorem me futurum profiterer. O ardorem animi memorabilem! O pietatem omnibus sæculis prædicandam! Certè pium hoc sanctæ mentis propositum omnino persecutus esset, nisi Pacem, per benignam Musarum alumnam & fœcundam literarum altricem, effrons Mars, in exsaturabili semper furore æstuans, tot annis inquietasset, totq; malis onerasset, turbassetq; omnia. Curam ergo illam posteris reliquit suis, ut, quod ipse, velut David aliquis, tot bellis undiq; & curis præpeditus, exsequi non potuit, Salomon quidam felici studio consummaret. Satis fuit ipsi, quantum verò fuit? quæ ad Politiam spectarunt, prudenter ordinare, & velut certum statuere domiciliū, in quo Ecclesiæ Scholæq; possint vigere & florere. Unde nullā hîc diligentiam, aut providentiā, quæ ab homine requiri aut proficisci possit, in se desiderari passus est Princeps laudatissimus. Omnia quæcunq; mortalitas capit, implevit. Quam sollicitus de obtinendo, in Polonia Regno, indigenatu fuerit, quis est, qui nesciat? Loquuntur hoc Provisiones illæ Ducales, comitialia decreta, pacta subjectionis & Nobilitatis privilegia, quæ Ordinis Equestris Internuncii à SIGISMUNDO AUGUSTO acceperunt: hæc verò ut deinde à SIGISMUNDO III. anno M. DC. XXIII. & post XXVII. Martii, anno M. DC. XLV. ab VLADISLAVO, gloriosissimæ recordationis, Polonia Regib⁹, approbata sint & solidata, fides publicorum monumentorum abundè ostendit. Quid de Regiminis forma, ab Illustrissimo Duce constituta, dicam? verè illa vinculum felicitatis est in hoc Ducatu, quo caput & membra felicissimè uniantur. Eminent in eo Consilarii supremi sex: Summus aulæ Magister, Cancellarius, Burggravius, Prætorii Præfectus, cum duobus Juris Doctoribus: Cum his Dux Illustrissimus aulica quotannis judicia, & circa Triū Regum, & Trinitatis Festum, quatuor septimanarū spatio, celebrat, conventibusq; Provincialibus biennio effluxo Mitaviæ habendis, interest. Eminent in eo

Capita-

ORATIO.

Capitanei superiores quatuor: In Curonia, Goldingensis & Tuckumensis, in Sempgallia, Selburgensis & Mitaviensis, qui in Districtibus suis, Nobilibus & ignobilibus, certo tempore, in causis primæ, ut vocant, Instantiæ, Assessoribus adhibitis, jus dicunt. Eminent in illo, inferiores Capitanei septem, ut Vindaviensis, Durbenensis, Schrūdenensis, Frauvenburgensis, Candoviensis, Bauskenburgensis & Doblenensis. Eminent tres isti in regimine Politico Ordines, & sub Duce suo Illustrissimo, ex præscripto Juris & æqvitatibus, prudentissimè, & Dei affulgente gratiâ felicissimè Ducatū utrumq; accurrant. Fruere hęc cœli benignitate Curonia, gratoq; illam semper animo æstima! Fruere, ô Patria, tuâ felicitate, quam Deus ter optimus ter maximus tibi donavit! Misericordia Domini est, quod non consumti sumus! Bonitas ipsius, est quod non extincti sumus! Verè ita est! Misericordia Domini est, æternum prædicanda, quod non consumti sumus à Tyranno truculentissimo, à Busiride Moscovitico, cum Livonia olim florentissima, commune Livonorum cœmeterium fieret, cum nonnisi tumulos ac eremos, nonnisi Christiani cruoris undas, cruces, eqvuleos, longas literas, nigra Theta, aliaq; infinita mortis portenta, & animarum mirium tormenta, advenæ in ea cernerent. Misericordia Domini, quod sub Ducali hætenus regimine, in Ecclesia, in Politia, in domesticarum rerum cura, secundo undiq; successu usi sumus! Quis ex laniena Moscovitica tantum promittere bonorum Curoniæ potuisset? Freqventer eqvidem mirari licet, quod pravissima quæq; contra ingenium suum toties in melius exerrent, ut pessimæ rei usus sæpe luculentior, quam abusus melioris appareat. Inprimis hæc calamitatum publicarum indoles est; licet omnia, quæ mortalitatem supra se tollunt, radicibus nitantur excindere, multa tamen sæpe afferant commoda. Nunquam aliàs fortassis, tot illustribus meritorum documentis, exsplenduisse lumē illud Curoniæ, GOTTHARDUS, neq; tantis utilitatibus proventus ex eo in Ecclesias & Politiam, nisi turbæ tantæ interpellassent securam Livoniæ quietem, promanasset. Agnosce Curonia, hæc tanta beneficia! Æternum prædica Patrem tuum & Dominum GOTTHARDUM, qui jam relicto, suisq; pedibus subjecto toto terrarum Orbe, gloriose in cœlis triumphat. Surge Curonia! Surge Sempgallia! & solennibus Ducem tuum GOTTHARDUM celebra præconiis. Ille, ille alacriter pro veritate Religionis, ac securitate Regionis, sanguinem quoq; fundere non recusasset: ille acriter domita vitiorum plurimorum monstra è Ducatu suo relegavit, ardentem virtutum gloriâ amavit & ornavit: ille Justitiam, ut oculi pupillam, conservavit, ferventerq; exfulantem Livoniæ Pacem reducere studuit: ille vigilanter pro Juribus, pro salute, pro incolumitate omnium excubavit, & sic suaviter amorē sui, in animis omnium excitavit. Quis tot fortissimi

mi He-

O RATIO.

mi Herois virtutes, domi & militiae spectatas, vel enumerare universas, quid dicam, celebrare singulas potest? Fine carent, & magis ferè quam humanae adorari malunt, quam prædicari. O verè Patrem, non Patriæ tantum & Ducatum suorum; sed Ducalis quoque dignitatis splendidissimum! Verè aurea quædam stirps exstitit, ex qua velut aureus surculus prodiisti, qui subinde magis efflorescis, Heros Celsissime, JACOBE, Dux Illustrissime, cujus felicissimo regimini Curonia modò & Sempgallia prosperitatem suam debet! Maeste istis Natalibus, quos non modò animo, factisque gloriosè renovas; sed & honestissimâ, ipsique Beatisimo GOTTHARDO, si viveret, gratisimâ contentione superare contendis; imò superas. Maeste istâ gloriâ, felicitatis nostræ Atlas eminentissime, quam tuis toto terrarum orbe celebratissimis Virtutibus mereris: quas Patria non capit, Polonia, flos regnorum, multum veneratur, Svecia, augusta magnorum animorum æstimatrix, admiratur, Germania, decus terrarum, celebrat, Anglia, gemma Oceani, magni ducit, Hispania, tot Regnorum Domina, novit, imò & Turcia, & regiones, quas in extremos orbis angulos deficiens natura projecit, non ignorant. Quid dicam? Cedit stylus humilis Tuis hisce in Patria augustis, alibi splendidissimis meritis. Cedit umbra sermonis mei, fulgido tuarum virtutum lumini. Intactæ, Tuâ Pace, maneant: inviolatæ excellentioribus ingeniis ferventur. O JACOBE, Orthodoxæ Ecclesiæ Tutor, Aræ columna, purioris Doctrinæ templum, DEUS te servet! O JACOBE, Curonæ gentis Statos, Justitiæ sublica, amoris lilium, DEUS te servet! O JACOBE, Patriæ Pater, Illustrissimi generis Gloria, Decus quorumcunque Principum, DEUS te servet! Diu super sis! pacificè gubernes! feliciter præsis & pro sis omnibus! Quod & tu, O DEUS, tum ob potentiam maxime, tum ob bonitatem optime, eidem & nobis largiaris, quæso, & Curoniam, Sempgalliamque; & utriusque Ducatus Patrem, cum tota Illustrissima familia, felicem, incolumem & perpetuò florentem serva, protege, custodi! Prospera in eo Statu omnes, & tuâ in primis Virtute, Illustrissimum Ducem ex alto roborâ, ut susceptum illud æternæ Pacis, inter Serenissima Regna Poloniæ & Sveciæ, negotium, cui, velut Arbitrator, interfuturus est, felicissimè promoveat & adjuvet, quò, post tot tempestates, post tot motus atque metus, tota Livonia celebratissima, & hæc ejus Metropolis, Rigæ Regia, æternum vigeat, æternum vireat, æternum floreat!

D I X I.